

stolis peterent operae suae et laboris commendationem, ut Basileae Oporini et Heruagii, Voegelini Lipsiae; verum ceperat etiam ex eadem scientia hunc fructum, multo et dulciorem ad sensum, et vberiore ad laudem, ut cognitas perceptasque teneret fere omnes doctrinae liberalis partes. Rhetorices quidem, muneris illius ornamentique hominum diuini, vim et naturam quin penitus pernouerit, quis dubitare sustineat? Neque enim solum praecepta artis, Aphthonii Theonisque exemplo, eleganter complexus est litteris; sed orationes etiam, quarum conscripsit ediditque non paucas, satis superque clamant, eum praeclare didicisse facultatis oratoriae copias dirigere ad normam regulamque praeceptorum. Et quemadmodum vel e breuissima Ciceronis epistola ingenium oratoris elucet excellens et copiosum: ita e Camerarii quoque epistolis cognoscitur facile, eum, non tam artis adiumento, quam naturae beneficio atque munere, oratorem extitisse. Tam eleganter scriptae sunt omnes, ut Musae ipsae Latine loqui videantur! Sed quum nosset Camerarius, etiam optima et feracissima ingenia mirifice ali sustentarique dulci et salubri sapientiae pabulo: peragrandas sibi, magni Aristotelis Theophrastique auctoritate, et emetiendas alacri animo censuit regiones camporumque patentium aequora philosophiae, non exilis quidem istius et horridae, quae tum vigeat et colebatur, parentis turbarum contentio numque, ut inanium, ita acerrimarum, fecundae, quam stultitiae rectius, quam sapientiae, et obmutescendi verius, quam dicendi, magistram dixeris; sed nitidae illius et plenae, pacis concordiaeque amicae, veraeque eloquentiae et genitricis felicis et al-
 tricis